







Bursay 671

Συγχάρματα, Σωτήρια, Ευχαι,

7

quibus

V I R O

*Admodum Reverendo Clarissimoq;*

**D N. M. BALTHASARI  
ROHRMANNNO,**

**STRELA-SILESIO,**

**in Metropoli Superioris Hungariæ**

**Casoviâ, Ecclesiæ Germanicæ Pastori**

**Primario, & Scholæ Inspectori Dignissimo,**

*cum*

*hujus ipsius Venerabilis Officii*

*novam, eamq; eximiam dignationem;*

*tum; maximè*

*insignem & verè divinam*

**ex insidiis, impetu, vi, armis,**

**atq; manibus latronum illorum,**

**consceleratissimorum,**

**ipsisq; bestiis, quantumlibet truculentissimis,**

**multò immaniorum,**

*in*





*in quos*  
Cœlestis Providentiæ permisso, mirando illo quidem,  
haurimando, die 18. Julii, jam precipitante,  
Ann. Salutis cl. 1746.

itinere,  
quod Vratislaviâ Casoviam ingressus fuerat,  
propè jam emenso,  
suis cum comitibus, nec-opinans inciderat,  
liberationem,  
& merito, nec mediocriter collatantes  
gratulantur:

SIMULQUE;  
Incomparabile hoc  
Unius atque Unici Custodis ac Servatoris DEI  
beneficium,

*cui vita tantum non nova usuram acceptam referre habet,  
quem pristina vita ex heredem  
jamjam factura Zabonica prædonum videbatur improbitas,  
agnoscentes, demirantes, prædicantes,  
in posterum.*

EIDEM OPTIMO MAXIMOQUE; NUMINI,  
ROHRMANNIANAM  
Vitam, Salutem, Felicitatemque; cæteram omnem  
universam, piis commendant  
suspiriis,  
in GERMANIA  
corporibus, non itidem animis, relictis  
Fautores, Amici, Clientes.

VRATISLAVIÆ, Typis GEORGI BAUMANNI,





**A** *N* rata sit Jovæ suscepta Vocatio, quæris  
Théuloge, qui vitam mortibus exposuit?  
Siste precor mentem, valeant figmenta sinistra,  
Theulogico luctam pectore vince Dei.

Numinis irati non est, quod pessimus infert  
Latro malum, at sancti Numinis indicium.

Officio JESUS sacratus flumine sancto,  
Sattanicis telis ocys excipitur.

Ante aditum in patriam JACOBUS inire tenetur  
Pugnam, quam (α) Summi filius instituit.

Ante decus Carcer JOSEPHUM deprimit, ante  
Aulam Davidem vexat eremus atrox.

(β) Mirificat sic JOVA pios; rimatus abyssum  
Sic vestri est spartam pectoris ante novam.

(γ) Scilicet Eusebies pectus solertia format,  
At malefacta probant, instimulantq; preces.

Nunc felix sequitur successus, gloria Summi  
Panditur, accrescit Christi adumq; Salus.

Et servo sancto in letis miserisq; Tonanti  
Est servire pium, proficuumq; pio.

Ast hic ipse dies tibi sit natalis ut alter,  
Quo vitam Mortæ Maximus eripuit.

Hunc sanctè in laudem Domini celebrato quotannis,  
Grates Soteri voce cheliq; canens.



*Quod superest, nunc sospes agas, & bella J E H O V A  
Fortiter expedias Numine dante diu.*

(α) *Hinc decretum est in Synodo Syrmieniensi contra Photinum: Si quis cum Jacobo non filium Dei ut hominem colluctatum esse dixerit, anathematis. Socrates Histor. Ecclesiast. Lib. 2. c. 25.*

(β) *Ex Psalmo IV. v. 4. Etsi enim in fontibus sit Hiphelicum הבלה à Rad. in Kal בלה significante separavit, attamen cum littera E H E V I facile permutentur, & eadem vox Psalmo XVII. 7. mirificare notet; iccirco à LXX. Interpretibus vertitur; ἐθαυμάσωσα, ab Hieronymo: Mirabilem reddit, & à Luthero; führet wunderbarlich. Quem ductum mirabilem idem Lutherus pulchrè his verbis depingit: Der Herr führet seine Heyligen wunderbarlich / er führet sie vber Stock vnd Stein / vber Berg vnd Thal / Wasser / Lustt vnd Feuer / daß offft die ganze Welt saget: Er werde ihnen die Hälse entzwey führen vnd abstürzen.*

(γ) *Ita Megalothander Lutherus, & ex eo Hassenrefferus in limine L. C.*

*Ita vovet ex animo suo Dn. M. Balthasari Rohrmanno, diem crucis & admirandæ liberationis suæ anniversarium recolenti,*

**A N A N I A S Weber / SS. Theol. D. Ecclesie Christi ad S. Elisabethæ Pastor primarius, ut & Ecclesiarum cæterarum ac Scholarum Confessione Augustanæ addictarum Vratislaviæ Ephorus.**



*II. Corinth. I. 8. — 12.*

*Non volumus ignorare vos, Fratres, de tribulatione nostra, quæ facta est in Asiâ: quoniam supra modum gravati sumus supra virtutem, ita, ut tæderet nos etiam vivere. Sed ipsi in nosmetipsos responsum mortis habuimus, ut non simus fidentes in nobis, sed in Deo, qui suscitavit mortuos, qui de tantis periculis nos eripuit & eruit: in quem speramus, quoniam & adhuc eripiet: adjuvantibus & vobis in oratione pro no-*

*bis*



bis: ut ex multarum personis facierum, ejus, quæ in nobis est, donationis, per multos gratiæ agantur pro nobis.

S. Paulum haud rarò in suis, ob Evangelij prædicationem, susceptis itineribus, pericula à latronibus, maximè in solitudine iter facientem, expertum fuisse, notum est ex II. Cor. XI. 25. 26. Quod etiam Tribulatio, quam in Asiâ se perpesum esse II. Cor. I. commemorat, ipsi in itinere obvenerit, maximè videtur vero consentaneum, quia ibidem allegatur, tanquam causa, quo minùs ex voto & promisso suo, tum ante, tum post aditam Macedoniam venerit Corinthum, v. 15. 16 ibidem hiematurus, I. Cor. XVI. 6. Hoc suo voto atq; promisso excidit. Antequam enim Corinthum proficisceretur, Philippis Macedoniae posteriorem istam ad Corinthios Epistolam scripsit, ut testatur ultima in Græcis exemplaribus addita ὑπογεγραμμένη: et deinde in Epirum venit, Nicopoli hiemem transigens Tit. III. 12. Exinde demum in Græciam, (quæ & Achaiam, inq; eâ Corinthum complectitur) migravit Act. XX. 1. 2. Jam verò communissima itinerum Impedimenta sunt, vel Occasionis ad proficiscendum inopia, vel superveniens Negotiorum ante abitum perfici cupientium moles: (Neutrum congruit cum descriptione tribulationis d. l. tradita, quod sc. presentissimum mortis periculum fuerit;) vel morbus: (cujus tamen in enumeratione arumnarū pro Evangelio perpesarum II. Cor. XII. 23. fin. non meminit.) vel intuta viarum, ob insidias hostium & impetus latronum, quos Apostolus ad Corinthios pergere cupiens, in Asiâ expertus, & ideò in extremum vitæ discrimen adductus esse creditur. Accedit altera ratio, quòd Paulus, post exaratam posteriorem ad Corinthios Epistolam denuo in Asiâ redux, ipse commemorat tribulationes, quas in primo adventu sustinuerit ex insidiis Judæorum: Vos scitis à prima die, qua ingressus sum in Asiâ, qualiter vobiscum per omne tempus fuerim, serviens Domino, cum omni humilitate & lachrymis, & tentationibus, quæ mihi acciderunt ex insidiis Ju-



dæorum. Act. XX. 18. 19. Taleis autem insidias, si humana media spectemus, facillimè potuerunt ipsi iter agenti in via struere: Sicut ibid. v. 3. 4. narratur, quod ipsi ex Græciâ in Syriam navigaturo insidiæ à Judæis factæ fuerint, quarum evitandarum causâ consilium suscepit revertendi per Macedoniam.

**T**E, ROHRMANNE, vocat DEUS ad præconia Verbi,  
Hungara quo tellus erudienda datur.  
Pares: atq; paras iter, ut Casovia felix  
Doctorem videat Te, foveatq; sinu.  
Sæva sed atq; rapax pergentem turba latronum  
Vulnerat invadens, verberibusq; ferit.  
Ignitisq; globis terret, læditq; protervè  
Et Caput, & Dorsum, & Brachia dextra, Manum.  
Linqveris ipse jacens, exhaustus viribus atq;  
Sanguine: Vix vitæ spes super-ulla-manet.  
Ast inopina redit vis in præcordia: sensim  
Emplastri coëunt vulnera mollis ope.  
Quin etiam manui, quæ vix magis apta putata est  
Scripturæ, constat pristinus iste vigor.  
Non opus hoc hominum est: Opus hinc manifesta patefcunt  
Argumenta Dei, qui gravat atq; levat.  
Audiit hic calidas, quæ nostra Ecclesia fudit  
Pro vitâq; tuâ proq; salute preces.  
Audiet hic grates, Sostri quas solvimus ipsi  
Nomine, pro vitâ proq; salute tuâ.  
Perge modò, ut pergis, propriis diffidere rebus,  
Et tua cuncta uni fidere fata DEO.

Hic



Hic poterit Mortis prædam revocare: *Periclis*  
Eripuit, præsens eripit, eripiet.

*Et DEO Sospitatori devotas gratias acturus, & Ecclesie  
Casoviensi, ejusq; Dn. Pastori, de singulari hoc  
DEI præsidio gratulaturus f.*

CHRISTOPHORUS SCHLEGELIUS,  
SS. Theol. D. in Neapoli Vratislaviensi ad  
Spiritus S. Præpositus, ad Bernhardini Pa-  
stor, Judiciiq; Ecclesiastici Assessor.



Cum sævi irrumpunt venti stridente procellâ,  
Æstuat & spumis æqvoris unda minax,  
Omnipotensq; DEUS gravidis turgentia nimbis  
Compescit certis flumina limitibus:  
Taliter erepti lethi discrimine nautæ  
Exolvunt summo vota precesq; DEO.  
De Te, quid dicam, simili, ROHRMANNE, periculo  
Exemptus fueris dum Bonitate DEI?  
Tempus erat, premeret cum Te Mors ungvibus atris,  
Fermè ut de tumulo maxima cura foret:  
Non tamen occumbis, nec acerbâ morte peremti  
Hostis, vulneribus, lumina pascit atrox:  
Sed potius vires recipis, caput exeris Orco,  
Mandatiq; subis muneris officium.  
Hinc meritò in laudes redivivus & ora resolvis,  
Ac gratæ mentis jam monumenta struis.  
Det Deus, ut toties tendens ad sidera palmas  
Sic lætus tollas munera magna DEI;

Auri-



Auricomus quoties Sol axe revexerit annum,  
Discutiens umbras æstibus in mediis.

*Favente quidem Lubentiâ, sed invitâ Minervâ, Reverendo  
ac Claris. Dn. Balthasari Rohrmanno Casov. Pastori lon-  
gè dignissimo, sic gratulabundus accinit*

CHRISTOPHORUS Freywaldt Lib. Baron.  
Milicens. in Silesiâ Cancellarius.

Decurrebat adhuc æstas centesima prima,  
Ex quo Lutheri mens calica, corporis ægri  
Deserto hospitio, patrium conscenderat axe:  
Jamq; dies, justâ serie quæ quinta Calendas  
Anteit Sextileis, majorem condita partem  
Tendere ad occiduum pelagus Titana videbat.  
NUMINIS arbitrio, Rohrmanne, instructe vocantis,  
Et votis munite piis, ex Sleside charâ  
Usq; ad Pannonias te concomitantibus oras,  
Tanto ad Casoviam celebrem jam latior urbem  
Ibas, quò magis indubiè rebare, viai  
Defunctum Te longinquæ discrimine quovis.  
Ecce autem Stygii dirus possessor averni,  
Quem Reverende tuo Rohrmanne labore fideq;  
Propugnatus honor dominantis ubiq; JEHOVÆ,  
Et vita innumerorum hominum quæ sita salusq;  
Obliquâ invidiâ, & stimulis agitabat amaris:  
suppeditare prius nec-opino funere Euntem,  
Summa viæ finis quàm pareat, apparat. Altâ  
Mente manet pietasq; tua & doctrina repostâ,  
Atq; ministerii successa cuncta fidelis,

Quo,



Quo, citra dubium, Stygiis erepta tenebris,  
 Millia multa hominum, dum Vocis præco sacratae  
 Corda vicisfatim (a) terrebas fulmine Legis,  
 Mox Evangelici recreans dulcedine roris,  
 Ad duplicisq; iterum consulta verenda Tabellæ  
 Adducens, certa ut constaret regula vitæ,  
 Ergo præteritiq; memor, timidusq; futuri  
 Æternæ noctis pater, & ferus arbiter orci,  
 Protinus exciuit truculentâ mente latrones,  
 Non-homines homines, tetro qui crimine gaudent  
 Ex opibus raptis, & sanguine vivere fuso.  
 Quondam apud Illurios qualis latro nobilis ille,  
 Partibus æquatis magnas cui præda tributa  
 Divitias peperit, quod Peitho Tullia (b) narrat,  
 Antiqui laudans Theopompi scripta fidemq;  
 Telephus (c) aut qualis fuerat, quem montis habentem  
 Carpatii infestos tractus, vix Martia magni  
 MATTHIÆ poterat domuisse valentia Regis,  
 Illi arbitrantes aptum jam tempus adesse,  
 Non magè nummorum, (d) sat largâ in messe, legendi;  
 Quàm perimendi hominis; vicinæ tegmine silvæ  
 Profiliunt, subitoq; nihil metuentibus adsunt.  
 Non illi gladiis solum, cestrisq; recurvis,  
 Vulnera queis punctim, aut casim, vel deniq; tusim  
 Cominus infligant, armati: at, ne quid inausum  
 Aut intentatum maneat scelerisve dolivè,  
 Æratis etiam horrifici tubulisq; pilisq;  
 Eminus unde queant occidere (e) tempore puncto.

(a) Navig  
lib. 4. bel-  
li punici,  
apud No-  
nium.

(b) Cicer.  
.2 offic.

(c) Curæus  
Annal. Si-  
les. pag.  
164.

(d) Lucre-  
tius 5.  
1224.

(e) Lucre-  
tius 2. 263.  
& alibi.

B

Quid



Quid multa? ut fuerant nitroq; & sulfure pleni,  
 Quamprimum tubuli rapuere in fomite flammam,  
 Continuo ejicitur glans plurima, disq; sipatur.  
 Currus, meta fuit, quo tu, Rohrmann, vehebas.  
 Heu mihi! quot circum globuli pectusq; caputq;  
 Vir Reverende, tuum volitant! ut crebrior altis,  
 Densa licet, nequeat tectis incumbere grando.  
 Sed non oblitus tamen in discrimine tanto  
 Clemens FOVA tui est: cujus dum iussa Minister  
 Aliger exsequitur, propius Tibi se tulit, atq;  
 Lethiferas plumbi plagas a corpore vertit:

(f) Ut (f) muscas abigit genitricis cura fidelis,  
 Filiolo dulcem per membra petente soporem.  
 Homer. Iliad. d. v. 130. Cetera ne memorem facta exsecranda latronum,  
 Ipse, illa propere quem vis effera fecerat hora,  
 (g) Juvenal 7. 65. Attonitum (g) creperat de vitæ luce tenenda,  
 (h) Seneca Ludo, ut quidem lo cum legit Brissonius lib. 8. Formulas (i) Afranius Divortio, apud Non. ex emendatio. no Lipsii, lib. 2. Ant Lect. c. 4. (k) Psalm. 103. v. 1. seq.

Cladibus eximius nunc corde & voce fateris,  
 Sic (h) habuisse alium te felicemq; JEHOVAM,  
 Ut nec vitalis raperetur luminis usus,  
 Nec cursuram aliquid tibi verruncaret honestam;  
 Illius absq; opete (i) penitus tutante fuisset,  
 Non visurum Urbis te tecta fuisse peritæ.  
 Ergo, quod lateris, habes, & carmina vatis  
 Jesæi (k) repetas: Mea mens cantato JEHOVAM,  
 Quicquid & est in me, divinum extollito nomen,  
 Mens, inquam, mea, supremum cantato JEHOVAM,  
 Improba nec subeant meritorum oblivia cordi,  
 Qui veniam clemens indulget turpibus ausis,

Et



Et cunctos pellit præfenti numine morbos,  
Qui tibi defendit jam certa pericula mortis,  
Extra iustum vitam ponens, timidamq; salutem,  
Et te, ceu viridi ferto, bonitate coronat.

*At nos, quod tecum lætemur, habemus Amici,  
Et tantæ pietatis opus gratemur ovantes.*

*Gratamur, penitisq; simul veneramur JOVAM,  
Cordibus, Hungaricâ quod munus in Urbe capessis,  
Flebile principium melior fortuna sequatur.*

*Ultq; mihi liceat famâ super æthera noti*

*Ambrosii (l) pietate graves erumpere voces:*

Quâ, Robrmanne, fide sacrum complecteris ipfus  
Verbum, quamq; doces alios, benedicat JOVA.

Quam dignis Pastore pio bene moribus ornas

Vitam, ovibus præbens specimen, benedicat JOVA.

Quam curam impendis, dum sacri niteris omnes

Muneris exsequier partes, benedicat JOVA.

Osa tui capitis, DOMINI benedictio cingat,

Fortunata tuo cum vertice tempora velans.

In medio fratrum cumuleris honore tuorum.

In te fit vegeti species animosa juvenci,

Quæ, quanquam ingeniis truculentis, ventilet hostes,

At sanctorum animos blandum demulceat imos.

Judicium, quo vult discernere remq; virumq;

JOVA Sacerdotes sibi lectos, floreat in te,

Lilioli candor riguis ceu splendet in hortis,

(l) qui vi-  
deatur E-  
pistolâ 59.  
& 60. ex-  
tremis.



Dignetur fundare PATRIS te gratia SUMMI,  
Ut populi ad te etiam concurrant agmine denso,  
De quibus admirans dicas: Quæ hæc turba virorum,  
Qui veluti nebulæ volitant, trepidæ vè columbæ,  
Cum pullis ad nota suis ubi culmina tendunt?  
Adveniant, instar spacioſa per æquora vectæ  
Clasſis, & accipiant frumenti dona, quod ille  
Antiquo MAJOR SALOMONE paravit, amicis  
Triticeæ tribuens viginti pondera meſſis.  
Accipiant oleum, & sapiens Salomonis acumen.  
Teq; piūq; beet populum concordia perpes,  
Et testamentum tuearis amabile Pacis.

*Quod facimus, voti indubiè damnabimur olim.*  
*Ipse fac exſpectes FOVÆ, Rohrmanne, favorem.*  
*Sic apud, & digitum ſicarius, atq; lacertum*  
*Cuspide perſtrinxit: quid tum? Fas credere, Summum*  
*Corporeis plagæ membris peperere dolorem:*  
*Nil animis quicquam, nil zelo abſceſſerit illi,*  
*Quo populum erudiens, ſolansq; monensq; rogansq;*  
*Regna DEI amplifies, minuas ſed regna Draconis.*

*Quod reliquum eſt, Rohrmanne, ſacræ Tuba vocis*  
*Casſoviaq; tuæ decus, & præfulgida fama, (amœna,*  
*Pectore dilectos memori retinebis amicos,*  
*Quos abiens terrâ liquiſti Slefide. De me:*  
*(m) quem Auſonio quod erat Paulinus, (m) id ipſe ero dolci*  
*vide Epi Rohrmano: Toto licet abſtrahar orbe velævo,*  
*ſtolâ 2. ad Auſonium.*

Nun-



Nunquam animo divisus agam. Prius ipsa recedet  
Corpore vita meo, quàm vester pectore vultus.

Et BENEFACTORI OMNIPOTENTI

*laudem cultumq; sempiternum debens;*

Et EJUSDEM BENEFICIARIO

*gratulans pariter, & faustissima quaq;*

*porro precans,*

*fide constantiq; amicitiae nomine facieb.*

M. ELIAS MAJOR P. L. C.

Gymnasii Vratislaviensis Elisabetani

Rector & Profesor, cæterarumq;

ibidem Scholarum Inspector.

---

Julius extremæ cùm proximus iverit oræ,  
Cor, ROHRMANNE, tuum subruet atra Dies:  
Quæ Tibi præterito tot damna parabat in Anno,  
Intentare trucem vi Tibi visa Necem.  
Sed quid dico Diem? Non est ea Culpa Diei:  
Damnorum Stygius Dux Fabricator erat,  
Iste suos piceo famulos mittebat ab Orco,  
Qui pesum ferro Te feriente darent:  
In tua flammiferas jacularent viscera Glandes,  
Ne posses jusfam protinùs ire Viam.  
Et cæsim - punctim venienti Latro nocebat,  
Te ratus indubiæ succubuisse Neci.  
Tàm furit in fidos Christi Styx atra Ministros,  
Queis Stygis est odio Nata Superstitio,  
Te meminit Regno plures avertere Prædas,  
Cum Ductor cœtûs Aurisiensis eras.

B 3

Jàm



Jàm videt occultas Te posse retundere technas,  
Corda quibus falli Casfovia queant.  
Hinc illæ Furia. Sed tax tax omne latronum  
Terga DEO chari dedolere Viri.  
Ipsa quidem miserè conquasbatur ARUNDO:  
VIR vires, Domino restituente, capit.  
Vivit, ovat, vegetam sortitus, in osse, Salutem,  
Et nova Pastoris munia salvus obit.  
Urbs recreata, novo Munus gratare Ministro,  
Et lætare tui Nobilitate Boni.  
Eximium misit Tibi nostra Silesia Mystam,  
Quem DEUS & retinens Grex pietatis amant.  
Et Tu, quod præstas, Mystam reverenter honora,  
Non modò, quod, pro Te, tot mala Damna tulit;  
Sed quod salvifico reficit jàm pectora Pastu,  
Deprocul à pastis trux Aconiton agit.  
Quod docet & teretum proprio spectamine Morum,  
Ceu locuplete satis, Dogmata, teste probat.  
Vina licet vestris sint communissima Mensis:  
Vina tamen sitiens non nisi pauca bibit.  
Odit Amatores calicum: quibus arctiùs hærent,  
Quàm sibi commissi Partibus officii  
Particulam certæ minimam nec negligit Horæ,  
Quæ semel est operæ, quæ tribuenda Preci.  
Novit id Urbs, novit Populus, sacer ordo Senatûs  
Novit id, editior novit id Hungaria.  
Hos hilarans cunctos, ROHRMANNE verende, peren-  
Hac odium stygii Dæmonis arte mere. (na:  
Nil



*Nil refert quo nos odio premat Orcus & Orbis:  
Unius à Christi manat amore Salus.*

*Amoris & percepti, de restituta Sanitate, gaudii  
testandorum ergò lubens faciebat*

*M. HENRICUS CLOSIUS, Gymnasii  
Magdalenæi Rector Vratislaviæ.*

*Festivi passim cantent licent ORPHEA Vates;  
Est tamen ornandus NOBIS mage laudibus, antè  
AURISIÆ LUMEN ROHRMANNUS, GEMMA q̄ sacri  
Ordinis in Patriâ, certissima REGULA Mystæ.  
Nam PHAETHONTIADAS, PERMESSI flumina, mala  
HESPERIDUM, GALLUM, formosas PROETIDAS, atq̄  
CAUCASEAS volucres, et HYLAM, furtumq̄ PROMETHEI,  
PASIPHAEN lapides PYRRHÆ, SATURNIA REGNA  
Irruptò studiò depinxit THRACIUS ORPHEUS;  
Et DITIS (ceufama refert) revocavit ab antrò  
EURYDICEN caram. Præmissis OMNIBUS istis  
Sed majora canit ROHRMANNUS divite lingua  
Numine cœlesti instructus potiora refundit  
INDORUM gazis, bis tinctis Murice lanis,  
Auxilio CHRISTI prælustri in SEDE locatus  
CASSOVIÆ, Getico Castrum fatale Tyranno  
Quod manet, auspiciis FERNANDI CÆSARIS ORBIS.  
Annon purpureo mundatum sanguine CHRISTI  
Divinò verbò cœtum deducit ad astra,  
Ostendunt Sedes ubi mitia Fata quietas?  
Annon innocuas animas ex faucibus amplis*

*Extrahit*



Extrahit inferni, depulsis mente tenebris?  
 HIC valido stultæ RATIONIS SOMNIAT eló  
 Dissipat. HIC Veterum DELIRAMENTA refutat.  
 HIC, PHOTINE, tuos nævos, & SPHALMATA tollit;  
 Quæ menti technâ subtili tecta, venenum.  
 Hac methodó REGNUM Christi succrescit in Aris  
 HUNGARIÆ, faciunt multi facienda DYNASTÆ  
 Schemate non fictó; sed RECTE. Fert bona fructus  
 Qualibet irsignes Arbos PRÆCONE novelló  
 Hanc monstrante viam facundó munere lingua.  
 Sed quid non movit stygii Præfectus Averni  
 Ante novam MESSEM, atq; EXORDIA cœpta MINISTRO,  
 Ampla salutâr at qui nondum mœnia lætæ  
 CASSOVIÆ SOCIIS adjunctis corde fideq;  
 Callidus en SERPENS HOSTES BUSIRIDE multó  
 Pejores animat, qui falce tagace superbi,  
 Et clypeó, jaculóq;, Macedoniâq; sarissâ,  
 protinus explosis tormentis, agmine factó  
 Adjunctó clamore feró, delere parabant  
 ROHRMANNUM Mystam. Num vota precesq; valebant  
 Cum preció, in tantâ turbâ, discrimine vitæ?  
 Fermè ubi præsentem intentabant fulmina mortem  
 PRÆDONUM, stupuere comæ, vox faucibus hæsit,  
 Corpora captorum stillabant sanguine largó.  
 Sed DEUS ingreditur, cum rebus cessat in arctis  
 Humanum auxilium, venit et post nubila Phœbus.  
 Adspice ROHRMANNUM! Non fudit viribus ullis  
 Humanis, inter PRÆDONES Agnus inermis.

Ipse



Ipse DEUS mitis crudelia facta repellit,  
 Liberat ex manibus TORTORUM membra MAGISTRI:  
 Angelicâ turmâ vallatum, corpore lassum,  
 Post varios casus gratam deducit ad Urbem.  
 Sic subjecta cruci vera est Ecclesia semper!  
 TRISTIA sic LÆTIS MISCENTUR! CREDULA nunquam  
 Deserit in mediô discrimine pectora CHRISTUS!  
 Solvimus ergo DEO TECUM nunc SOSTRA potenti  
 Annua, mente pia multum REVERENDE MAGISTER;  
 In nostris Aris optamus pectore totô,  
 Ut DEUS amissas vires cum corpore sanô  
 Reddat, TITHONI seros & porrigat annos,  
 Officiô magno dicas accepta JEHOVÆ,  
 Ut MEUS in vestrâ GRAWERUS fecerat olim  
 CASSOVIA, TURCAS cum TIEFFENBACHIUS HEROS  
 Nominis æternâ famâ concussit opimos,  
 Atq; memor vivas NOSTRI, etsi dissitus oris  
 A patriis; faxit quod maximus arbiter æthræ.

Hanc *ἡμεῖς εὐχαριστήριον συγχαίρων* cum Amicis  
 Reverendo atq; Clariss. Viro Dn. M. B. Rohr-  
 manno, Protomyſtæ Augustanæ invariatae Con-  
 fessionis apud Casovienſes, eô adfectu, qui in  
 Aulâ Craischelvvicianâ olim satis superq; Ste-  
 phansdorffii innotuit, obtuli  
 M. JOHANNES VIEBINGIUS antea Pastor in  
 Zibdorff & Lasâ, jam. t. Illustris Schola  
 Olsnicæ Rector & Inspector.



C Reverendo



Reverendo & Clarissimo Viro  
DN. M. BALTHASARI ROHRMANNO,

ἐν οἴκῳ Θεοῦ πολυκαρπῶς ἀναστρέφεται!

**V**olvit annua Meta, cum relictis  
Finibus Patriæ, Tuæq; Curæ  
Commisâ *Aurifio*; Solum parares  
*Pannonumq;*; novumq; Munus, *Urbis*  
*Mysta Casfovia*, lubens adire.

Nempè sic voluit Pronœa Cæles,  
Quâ vocante, sequi; Deo dicatum  
Quemvis addecet: ut Ducem satelles  
Non-malus sequitur vias per omnes;  
Seu stratas videat Rosis nitere,  
Seu scabras riguisse senticetis.

Sic, ajas, voluit: Meumq; duxi,  
Duxi omninò, sequi. Sed illud angit,  
Quod tot vota; tot, & benè ominata;  
Quæ *Breslis* pia, quæ *Patrita Slesis*,  
Quæq; & *Ungara* nuncupavit Ora;  
Infelix Iter, arduumq; vitæ  
Excepit, Nece non procul, periculum.

Et Nos anxid, optimosq; quosvis,  
Qui salvas cupimus foris, domiq;  
Res Ecclesiolæ, colentis *unum*,  
Ut *cor* vivificans, *Caputq;*, *Christum*;  
Qui Bonis benè quò sit, apprecamur.  
At, quid angimur hoc? Facesat angor,  
Et *PATRIS* placeat *DEI* Voluntas.

Sic



Sic PATER voluit. Cui, Capillus  
Dilecti capitis, subindè curæ est,  
Curæ quomodo non sit Ipsa vita?  
Hoc nolente, potest nec ille tangi:  
Hoc nolente, potest nec ista frangi.

Sic ergò voluit, docere qui Te  
Ungaros voluit; viæq; rectâ  
Monstratæ dare Te, suæq; curæ.  
Nonnè, cum voluit prius domi Te,  
Eductam Patriæ docere pubem;  
Dixisti; *Volo*? Nonnè cum dein Te  
Adultam voluit docere Plebem,  
Dixisti; *Volo*? Cum dolere, cum Te  
Lætari voluit; vicesq; miras,  
Queis hæc Vita rotatur, experiri;  
Dixisti, *Volo*. Cum volet mori Te,  
Quid dices? *Volo*. Mente cur eadem  
Non perferre velis, periculorum  
Quicquid hæc voluit viâ subiri?

Perfers, quod scio: destinâsq; totum  
Grato pectore laudibus Jehovæ  
Te, Corq;, Osq; Tuum: quod Hostis ensem,  
Crudelemq; Manum, Manu potenti  
Represit validè; Tibiq;, Sanctis  
Viventium sibus unicè sacratam,  
Servavit, Patrio favore, Vitam.

Nos Tecum canimus Benignitatem  
Providi PATRIS: & Tuis ut addat,



Firmæ Munera hospitatis, Annis,  
Successusq; Laboribus, precamur.  
Fixum Casovia Tholis legatur  
Nunc, & Post-genitis, quod addo quinis  
Factæ Mnemosynon Rei Phaleucis:  
ROHRMANNUM *Mibi Slesis alma misit.*  
*Obstitit Satanas. Sed increpavit*  
*Obstantem DEUS, & suo Favore*  
*Servavit Populo Meo, docentem*  
*Vitâ non minus, atq; voce Mystam.*

*ex Animo voce*

M. VALENT. KLEINWECHTERUS Siles.  
Gymnastii Uratislaviens, Magdalenæi Con-  
rector, & Professor.

Psalms.  
91. v. 1.

**Q**uicumq; SUMMI fallit in abdito  
Secretiori, quiq; sub intimo  
Umbraculo tectus Potentis  
Cuncta fide solidâ moratur,  
Nil expavescit demonis impetus  
Depræliantes undiq; nil minas  
Mundi furentes, nil obortos  
Sorte satis variante, casus.  
Nam tanta veræ vis fidei, & spei  
Audentioris robur, ut optimo  
A PATRE se sperni aut relinqui  
Possentegent, IPSE quamvis

Quandoq;



Quandoq; Vultus schemate non sui.  
Exempla queris? Lamechiden, DEO

Gen. 7.  
v. 7. &  
seq.

Claudente mirandam Carinam

Dædala cum facies periret

Mundi prioris, mergere non potest

Gen. 19.  
v. 29.

Ingens vorago diluvii: LOTUS

Cum filiabus liberatur,

Dum Sodomæ pluvialis Ignis

In impiorum præcipitat caput:

Amans parentis, justitiæ tenax,

Gen. 41.  
v. 9. 10.  
Act. 7. v.  
6. 7.

Ereptus è fratrum JOSEPHUS

Sanguineis manibus secundus

A rege factus Numine provido:

Ecquis Davidem plus vice simplici

1. Sam.  
19. v. 1. &  
seq.

Tutatur, omnes cum latebras

1. Sam. 23  
v. 26. 27.

Insidias fabricare doctus

Indagat, eheu! rex socer? est DEUS,

& passim  
in Ps.

Nostros capillos qui numerat, suo

Nec absq; nutu vult ab ullo

Defluat umbra pili: quid addam?

Dan. 3. v.  
23. 24.

Illos stupendo corpore TRES-VIROS

Fornace magnis quos Babyloniæ

Cremare Rex gestit; sed ecce!

Ignis & ira simul residunt

Mutantq; nam nec simbria vestium

Extrema, mollis nec capitis coma

Adusta, nil horum recepto

Mulciberis tetigit sagaces

C 3

Odore



Act. 12. *Odore nares: TE, PETRE, vinculis*

v. 6. 7. *Quis expedit, jam populo statim*

*Sistende, crudeliq; porro*

*Pollice carnificis necande?*

*Rupit catastræ firma repagula*

*Jovæ minister cælicus, & loco*

*Eduxit, insigniq; prorsus*

*Attonitum stupefecit au so:*

*Sic nave fractâ vortice fluctuum*

Act. 27. *Planè implicatus cum sociâ manu*

v. 22. 23. *THARSENSIS alterno natatu*

*Naufragii superasse gaudet*

*Exæstantis summa pericula.*

*Exempla sed quid sollicito piæ*

*Antiquitatis? nostra certè*

*Plurima suppeditabit ætas.*

*Transire sicco cætera sed pede*

*Festino: Tu nunc instar es omnium*

*ROHRMANNE, lumen Mystagogum,*

*Atq; sacræ columen catervæ.*

*Quis namq; nescit sole nec annuo*

*Fam-nunc reducto (quanquam animus satis*

*Percussus, & luctu subactus*

*Horret adhuc meminisse) qualis*

d. 28. Ju- *Globus latronum cinxerit, & nimis*

lii A. 1646

*TE vulnerarit, tum comites tuos,*

*Quorum unus alterq; innocenti*

*Turpe solum tetigere mento,*

*Videre*



Videre vultus jam videor truces,  
Et hinnientum cornipedum jubas,  
Ensesq; falcatos, & arma,  
Arma fero fabricata Caco:

IurSAT illinc immiserabilis  
Alastor, hinc mox Sisyphus advolat,  
Punctim ferit caesimq; Cyclops,  
Autolycus rapit omne, cistis

Quodcumq; clausum, sacrilegâ manu  
Verum inter ictus, inter & obvios  
Mezentios Tu liberaris  
Numinis auxilio, & latentem

Virgulta obumbrant, dum furor impius  
Lenit, latronesq; exsurviis graves  
Prædâq; onusti congregatâ,  
Dividuos repetunt penates.

ROHRMANNE sic Te gratia Numinis  
Ex mortis umbrâ Christicolûm gregi  
Tandem redona vit remissum,  
Reddidit & solitum vigorem.

Quæ lingua, quod cor, qui calamus DEI  
Tantum favorem carmine publico  
Æternet? hunc, ROHRMANNE, semper  
Mente tamen memori repone.

Atq; es profectò, quæ pietas tua est,  
Facturus. at, quæso, hoccine præmium?  
(Quod impius quarat) DEUS nè  
Propietate reponit illud?

Adversa



*Adversa non hic protinus omnia*  
*Defendit, ut vis, OMNIPOTENS piis;*  
*Ast interim miraculose*  
*Servat, & ex variis quereutes*  
*Periculorum casibus eripit*  
*Fremente mundo & Tartareâ styge,*  
*Queis expedire audentiorum*  
*Se nequit ulla hominum facultas,*  
*sic rara Virtus, & Pietas DEO*  
*Sunt curæ, ostantq; hic sæpius, ut throno*  
*Posthac beatorum recepto*  
*Perpetuos agitent triumphos.*

*Hæc in DEO exultans, & citra fucum & palpum piissimo juxta*  
*& Clarissimo Theologo gratulabundus ὀλοκαρδῶς adpo-*  
*nebat, M. Junio quasi extremo*

CHRISTOPHORUS FREITAGIUS  
Pastor Lofs. Evang.

~~~~~  
Prosopopœia

Silesiæ Cassoviam alloquentis,

*Ad imitationem Martialis Lib. VII. Epigr. XCII.*

**A**rdua Martigenis CASSOVIA proxima Dacis,  
Quæ jam pacificis vix habitanda viris,  
Quid mihi ROHRMANNUM tanto subducere nisu  
Te juvat, & blando detinuisse sinu?  
Quid spem ferventem potiundi perdis alumni,  
Tot propter dotes qui mihi charus erat?  
Utere sed misso, nec abutere pignore nostro,  
Certâ post detur sic tibi pace frui.

*Interprete Calamo*

M. JOHANNIS FECHNERI Freistad.

Gemma



**G**emma Ministerij, ROHRMANNE colende, vocaris  
CASSOVIAM, Summi Numinis auspicio.  
Obsequeris, comitatus abis ter mille Bonorum  
Votis: infaustum sed Tibi cedit iter.  
Incidis in rabidas latronum, corpore, dextras,  
Ictibus infelix, vulneribusq; tuis.  
Res miranda! DEO pares, ad sancta paratus  
Iussa, nec ignotas ire gravare vias.  
Non tamèn absq; gravi succedit mole malorum,  
Quod facis, o animi Pars preciosa mei!  
Quid rear? indulsit sævos latronibus ausus,  
Qui regit arbitrio cuncta, locatq; suo.  
Hujus fortè mali causas ego rimer? at absit!  
Mirer, non rimer facta tremenda DEI.  
Non sine divino contingunt omnia nutu,  
Nobisq; eveniunt cuncta, tuente DEO.  
Ille pilos capitis numerat gressusq; Suorum,  
Ille tegit nos & nostra, potente manu.  
Attamen & Satanæ patientem tradit HIOBUM,  
Affligiq; Pios fortitèr Ille sinit.  
Nam mirabiliter DEUS hic nos ducit, ut illic  
Æternum salvos præstet in arce Poli.  
Phosphore Theologum, ROHRMANNE Verende, probaris  
Ante, tuo quam Te sistis in urbe Gregi.  
Sunt nocumenta Bonis documenta: pericula sic quæ  
Molimenta vehunt, emolumenta ferunt.  
Te furiosa quidem manus infestare Malorum  
Visa fuit, verùm, quæso, quid eripuit?

D

Nil,



Nil, nisi quod fluxum est: divina munera mentis  
Manserunt, quæis jam clarior usq; viges.  
Te verò ex summis tandem emerfisse periclis,  
Servatumq; Tuis, gratulor ex animo.  
Fovæ tuos posthac Clementi Numine cæptus  
Firmet, Te servet, protegat, ornet, alat!  
Hungarica ut videat Te salvum salva Sarepta,  
Floreat & ductu Concio vestra tuo!  
Sic Tibi persolvat meritas Ecclesia grates,  
ROHRMANNUMq; colet CASSOVIA alma suum.

Reverendo & Clarissimo Dn. M. Rohrmanno,  
pauculis hisce, unà cum votorum omnium  
cumulo, lubens m. q; se sistit

FRIDERICUS SCULTETUS Pastor Eccle-  
siae CHRISTI in Herr. Motschelnis.

~~~~~  
BRevi reducet Cynthius æthere,  
Emensus orbis puncta sui, Diem,  
Quo tristiozem vix in orbe  
Contigit hoc Tibi conspiciari.  
Ter sexta Julii quinta bis insuper  
Lux promit illum, Lux tenebris Tibi,  
ROHRMANNE, nullis danda, vitæ  
Dum vigor ora tenebit, unquam.  
Sperans eras, mox scandere Pulpita,  
CASSOVIAE quæ surgit ad æthera  
Honos, vocatus Mysta, Verbi  
Et Populum recreare pastu.

Dæmon



Dæmon at ater, cûi Pietas tua,  
Et Zelus ingens carpere crimina  
Sat notus, irâ fervefactus,  
Tollere consilium struebat.  
Hinc concitavit Cercyonum Manum  
Quæ Te cruentis, & Socios, modis,  
Viæ vacantes involaret,  
Præcipiti nece perditura.  
Sed grator aliam Numinis optimi  
Tibi Pronœam, quæ mediâ tuam  
E morte vitam traxit, & Te  
Restituit Tibi perbenignè.  
Tu lætus urges munia nunc tua,  
Verbum docendo; sed Coluber dolet  
Orsûs inanes, & Latrones  
Judicium gravius manebit.  
O vive sanus corpore, pectore,  
Et pande fidus Præco Gregi tuo  
Mysteriorum Sacra, corde  
Impavido, Pylii per annos!  
Aurifenses quâ rigat Odera  
Campos, ut Omnes Suada prius tua  
Flexit stupendùm; sic eodem  
Nunc quoq; Pectora flecte motu!  
Qui liberavit Te DEUS ê manu  
Sævâ Latronum, sufficiet Tibi  
Vires, & omnes prosperabit  
Muneris usq; tui labores.



Quin gloriosam temporibus tuis  
Olim Corollam Numen in ætheris  
Imponet aulâ. Sic precamur.  
Percipe, Christe, preces Precantûm.

*Ita, sanitatem recuperatam, & novam sacri muneris  
functionem gratulabundus, precatur  
παιψουαδὸν.*

M. CHRISTOPH. Schulz / Gymnasii apud  
Vratislavienses Magdal. Collega.

---

**D**um scholicam, innumera pridem cû fruge, juventam,  
Et celebri, in nostra Gymnade, laude docet;  
Dumq; hinc Aurisîæ CHRISTI præponitur ædi,  
Ut sacri instillet neçtara diathymi,  
ROHRMANNUS, rari specimen memorabile Mystæ:  
Fama Viri longè didita ritè volat.  
Non etenim tantum suggesti è ponte docebat  
Verbum, sed vitâ teste probabat Opus.  
Vivida grandiloquæ præstat pollentia Lingvæ  
Plurima, sed plus in Præsule Vita valet.  
Hinc vel ad extremos defertur Pannonas; indè  
Præconem ut sibi plebs Cassoviana petat.  
Quàm verò Aurisium cuperet retinere PARENTEM!  
Quàmq; recepisse hunc Vratesilèa, Virum!  
Ne quicquam. Rerum secus omnia dividit Autor,  
Quem citra murmur stat gemituq; sequi.  
Ponè Ducem quicumq; gemens comitatur euntem,  
Is meritò nauci Martis alumnus erit.


*Nolentes*



Nolentes tractant, sed ducunt Fata Volentes,  
 Hinc paret, dum vel pollice Fata crepant.  
 Ast dum Casovia sperata penè propinquat,  
 Hei mihi quàm vertunt omnia, læta prius!  
 Est via, quæ fit iter, silvestribus horrida dumis,  
 Corripit unde suum multa Laverna caput.  
 Corripit, & circum tristi volat omnia dextrâ,  
 Et gladio, cæstu, glande manuq; ferit.  
 Haut secus ac labrax Milesius omnia captans,  
 Polypus aut inhians, esuriensvé lupus,  
 Aut larus, Autolyzivé nepos. At dextera nondum  
 Autolyzi forsit tam piceata fuit.  
 Dixeris Harpyias: non quæ Phineia quondam  
 Guttura fraudabant, sed trahere inde genus.  
 Namq; Canum princeps visus fuit ille, Celæno,  
 Iste Thyella, sed hic nobilis Ocypete.  
 Ocypete, aut rapidæ non dispar visus Aëllø,  
 Dum niger intorto ut turbine nimbus adest.  
 Tristius haut illis monstrum, nec se extulit undis  
 Sævior è stygiis pestis, & ira poli.  
 At quamvis certam intentet manus improba mortem;  
 Illa tamen CHRISTI nulla favore fuit.  
 Vivis enim, & sano tua munia corpore tractas,  
 Qui mersus tristi funere visus eras.  
 Hunc igitur stupeo meritò, gratorq; favorem,  
 Et longus Tibi sit perpetuusq; precor.

βαδυσύχως

JOHANNES GEBHARDUS,  
 Gym. Elisab. Vrat. Coll.





Quantam tristitiam, quantos animiq; dolores  
Summa tuæ, Excellens Rohrmann, pericula vitæ  
Omnibus ante annum intulerint, vix dicere quimus.  
Nunc cum fama refert iterum te viribus uti  
Firmis, ac sano cum corpore prospera quæquæ  
Cernere, nos meritò dulces sub pectore motus  
Lætitiæ sentimus; Et usque encomia laudum  
Dicimus ore DEO. præstant hæc pluribus illi,  
In quorum gravitas, & acumen carmine fulget  
Eximium. Deest vena mihi molesq; laborum,  
Quâ premor assidue, non cultos pangere versus  
Permittit. Quare brevibus tibi gratulor ampli  
Muneris ingressum, è tanto effugiumq; periclo,  
Quo tua vita fuit propè limine mortis in ipso.

*Psal. 145.* Jure ergò æternas Jovæ cum vate Davide,  
*v. 1. 2. seq.* Sancto, concinimus laudes; quoniam ipse benignus  
*v. 14.* Omnibus ac miseris subito est succurrere promptus,  
Ipse etenim attollit lapsos, atq; erigit ægros;  
Antiquusq; latro cupiit quos tradere letho,  
Incolumes fovet hos: ab humo quoq; te relevavit  
Prostratum, læsasq; tuas in pristina vires  
Restituit. Tibi Pannoniis idem adsit in oris,  
Nominis inq; sui laudem per plurima servet  
Tempora, postq; obitum cælestibus inferat oris;  
Detq; tibi veram per secula cuncta Salutem.

*Id quod animitus vovet*

M. JOHANN. BALTHASAR Sarg/  
ad D. Elisabeth. Cantor & collega.

*Ceu Daniel quondam rabiem sufferre Leonum,  
Cogitur atrocem, nec laceratur iis.  
Ceu Jeremias foveâ detentus atroci  
Porrectam sentit cunctipotentis opem.*


*Ceuq;*



*Ceuq̄, Petrum tenebris densis ac milite cinctum,*  
*Præter spem Jhovæ liberat alma manus:*  
*Sic, Rohrmanne, tibi prostabant claustra ferarum,*  
*Sic foveæ, tenebræ, militis & rabies.*  
*Ast Deus ille suos pœnis qui plectit acerbis,*  
*Nec planè morti tradere quemq̄, solet:*  
*Liberat à tantis, quamvis sint magna, periclis,*  
*Porrigit & validam post mala tantam anum.*  
*Huic meritò dignas imo de pectore grates*  
*Per solvis, solvunt te quot amare solent.*  
*Gratantur cuncti, mirantur & undiq̄, tantam,*  
*Largitus quòd opem summus ab axe Deus.*  
*Atq̄, precantur, ut is, qui dextrâ prestitit almâ*  
*Auxilium, posthac te regat & foveat.*

Hæc ad amicum sincerè sibi dilectum

M. CASPARUS Lehman.



Soterion

Ex illo ASAPHI

Inter Musicorum Magistros egregii

ita Psalmo 73, v. 1. & 2. cantantis:

*Atqui Bonus DEUS Israëli: puris corde. Ego*  
*verò propemodum declinatus &c.*

*Quam pravos felix recreet successus in Orbe,*  
*Sæpius, elapsi temporis acta docent.*  
*Cernimus hos etenim jactare pericula vitæ*  
*Nunquam, vel rarò; sed malefacta rei.*  
*Jactant elatos animos, inquam, sua jactant*  
*Commoda, terreni præsidiumq̄; Boni.*  
*Nec Jactant tantùm: verùm tot pessima patrant,*  
*Dum lædunt Justos ense, manuq̄; Viros.*  
*Exercent immò varias cum crimine prædas,*  
*Exanimés homines vivere vixq̄; sinunt.*

Hæcce



Hæcce probus secum si quando facta revolvit  
Pravorum, tandem fluctuat huic animus.  
Tristes exsurgunt ejus sub corde querelæ,  
Et fermè gresu vult titubare suo.  
Quod pius Asaphus motâ ratione fatetur  
Pulsans Isaidæ carmina sacra Senis.  
Inquit: ego ferme titubassem tramite, tangunt  
Prospera quando malos: pessima quando bonos.  
Se tamen erexit; *quod puris corde Jehova  
Sit bonus, eveniant quæ-mala-cunq; piis.*  
Hoc si commovit sanctâ pietate Magistrum,  
A lapsu ut fuerit non procul ille suo:  
Quid de Te dicam multum-Reverende Magister,  
Si revoco lapsi temporis Articulum?  
Scilicet ardebat virides tum Julius agros,  
Quò jus sit longas carpere Jova vias.  
Ingressus quas Tu voto, precibusq; fuisti,  
Linquendo patrium non sine laude solum.  
Ast evenerunt quæ non Tibi, quando malorum  
Sæva cohors facinus triste patrabat ovans?  
Non prædabatur solum: sed spîcla vibrabat  
In Socios isthæc dira caterva Tuos.  
Sufficit haud facinus; pergit crudelior esse  
Dicta cohors, & Te, Vir Reverende, petit.  
Percutit & lædit ferro Tua membra, manumq; ,  
Ut vix examinis conspiciendus homo.  
Hæc mala dum passus tremefacto in corpore, quæ non  
Corde volutasti tristia verba Tuo?  
Hinc reor Asaphi, quod sis imitator, & absis  
Illius à gresu non titubante procul.  
Dixisti: ferme titubassem tramite, tangunt  
Prospera quippe malos: pessima meq; virum.

Et



Et licet illa tuam subiit titubatio mentem;  
 Stas tamen erectus non titubante pede.  
 Quin quoq; nunc dicis: (a) quod puris corde Jehova  
 Sic bonus, eveniant quæ mala-cunq;-piis.  
 Esse ratum voluit Deus hoc clementer in anno  
 Præterito, fuerit cum bonus ille Tibi.  
 Cum Tibi servarit vitam, quo dogmata verbi  
 Salvifici Chaschis tradere rite queas.  
 Achæc est Bonitas ea, quam congratulor, optans  
 Ut tibi perpetuò sit Bonus ille Deus.

(a) Henric. Mollerus in enarrat. Psal. 2. part. p. m. 438. subjicit ista  
 vernacula: Es habe ein Ansehen mit den Fromen wie es wolle; So ist Gott den  
 noch gützig gegen ihnen.]

*Ita ὁ ἴσθης σου Fautori suo ætatem honorando, dirẽ  
 ante annum sauciato; mirẽ tamen, mira Deũ  
 bonitate, servato; ὀλοκαεθίως gratul.*

M. DAVID CAMERARIUS, Vratislav.  
 Sil. SS Theol. Studios.

Parodia Horatianæ Odæ 24. L. I.

Ad Cives Aurisienses.

Quis desiderio sit pudor, aut modus  
 Tam cari capitis? concipe lugubres  
 Cantus, Aurisium, quæ poteras viri  
 Vocem percipere hætenus.

Ergò à Te Tuus hic Pastor abire nunc  
 Tentat? cui pudor, & Iustitiæ soror,  
 Incorrupta fide, nudaq; veritas

Quando ullum invenient parem?  
 Multis hocce quidem flebile non parum:  
 Nulli flebilius, quàm Aurisiam, Tibi.  
 Tu sed ne lacrimas sparge, magis prece  
 Postcas auxilium DEum.

Quod si feceris, & Iova benignior  
 Auditam adspiciet lumine gratiæ,  
 Non vanæ ut redeant, efficiens, preces;  
 Quamprimum accipies ei (re  
 Non multum ab similem, dogma retunde-  
 Insanum poterit qui hæretici gregis:  
 Vestris quig; adimens tristitia mentibus,  
 Quidvis corriget impium.

Ad Dn. M. Rohrmannum.

Rohrmanne officium gratulor hoc novum,  
 Exoptans simul ex pectoris abdito,  
 Vires Iova novas ut tribuat Tibi,  
 Nec non cætera commoda.

Debitæ observantiæ causâ Vitebergæ scrib.

ESAIAS MAJOR Vratislav LL. Stud.

E

Et meritò



**E**T merito meritoq; tibi,  
 Corditrahæ ebria dividia,  
 Terra Silesia, veste sedes  
 Squallida Cimmerica. Quid enim  
 Deerat adhuc crepera serie  
 Cladis amarifera, nisi quod  
 (Quis scit, an huc rediturus?) abis,  
 Slesidos, ô CALAMANDER, Amor,  
 Famigerabile delictum,  
 Nec modicum decus; incolere  
 Casoviam, memorabilia  
 Nomina Pannonia celebris?  
 Bis quatuor, puto, sedulitas  
 Rustica, aristifera segetis  
 Falce secante regessit opes,  
 Promta quod aurisii Pietas,  
 Vitrea quam Viadri unda rigat:  
 Unica te colit, & coluit;  
 Et coluisse sequente cupit  
 Temporis articulo haut modici.  
 Quin sibi pollicita est tacite,  
 Perpetuum hoc propriumq; fore.  
 Ast hyperiona deinde suum  
 Qui poterit coluisse, bona  
 Nunc-misera Aurisii facies?  
 Casovia quæ viam nimio  
 Pestis avarior, innumerum,  
 Omnicapaci hominum numerum.

Credidit hospitio tumuli  
 Propterea usus ei merito  
 Undique talia corcla virum  
 Expetisse, novâ vice queis  
 Suppleat officium vacuum.  
 Tute etiam, CALAMANDER, in  
 Querere: prospicias anima (his  
 Sollicitissimus Hungaria.  
 Huncce sibi en habitura virum,  
 Pannonia urbs propè tota venit,  
 Quâ ratione negare potes,  
 Alma Silesia? Charus enim,  
 Quamlibet immodicè tibi sit:  
 Haud ideò tamen Hungaria  
 Ille negandus erit cupida,  
 Qui, populum velut antè tuum  
 Sedulitate queat geminâ  
 Ipsius erudiisse gregem.  
 Quin penitissima vota magis  
 Promis, ut augeat innumeris,  
 Aptâ virum, inculta terra bonis.  
 Et quia largâ juvare cupis,  
 Quævis opus auxilio est miseris;  
 Sarmata tristifica abjicias:  
 At Toga vel nive candidior  
 Defluat ex misere humero.  
 Porro etiam ô alios, parili,  
 Terra beata, favore juves!

ELIAS MAJOR, & ipse  
 Vitebergæ scrib.



SOTE



SOTERION  
THEOLOGO CELEBRATISSIMO, DN. ROHRMANNO,  
*Scriptum ad imitationem* ΕΙΔΟΥΣ. ΙΑ. Olymp. Pindar.

Στρωφή α. κώλ. 5.

Εστιν ἀνθρώποισι, χαρῶν ὅτε πλείστα  
κλήσις, ἔστιν ἢ πάλι θυμοβόρων  
θλίψεων, παγῶν ἄχεσθ.  
Εἰ δὲ ἐκφύγοι μέρμυράν τις, μελιγάρες ὕμνοι  
ἐνθάδε κύδη βοᾶς τέλλεσαι,  
καὶ πιστὸν ὄρκιον θεῖω ἔλεει.

ἀνίστρ. α. κώ. 5.

Ἀφθόνηθ' ἔργον ὀλυμπομέδων ἦ  
αἰμέρα προΐξεν, τὸ μὲν αἰμείρα  
γλώσσα νῦν αἰνεῖν ἐθέλει.  
Ἐκ θεῶν γὰρ ὅς σοφᾶς ἀνθεῖς ἔσαιε προπίδεςτιν,  
ἴδι νῦν, ρορμαννίδη, τῆς τεᾶς,  
ἐκ λησέων βίας, ῥύσεως ἔνεκεν

ἔπωδ. κώ. 1.

Σῶσρα θεῶν βασιλεῖ χρυσέεσ ὀλύμπ' μ'  
αἰδυμελῆ κελαδεῖν, ὦ τευχέε  
μέλεα, οἱ ἀνδρῶν δοκίμων ἀλέγει,  
οὐγάργις ἔπέμπε. ἐγυάσομαι,  
μή ῥα μολπὰς πρὸς Φυγόξενον λεῶν,  
μήδ' ἀπείρατον καλῶν,  
ἀκρόσοφον δὲ ἔαχματὰν ἀφίξεσθ. τὸ γδ  
προσφιλές, αἶνος μήτε κύκλωψ,  
μήτ' ἐρίβρομοι λέοντες  
ἀπίσσειεν μέλισμα.

Viro Excell. tamenetsi de facie incognitus, rem, quod  
spero facturum non inacceptam, adjeci

CAROLUS Ortlob / Olsn. Sil.

Gymn. Elifab. Vratisl. Alumnus.

Insignem



**I**n signem meritisq; Virum, placitumq; Jehovahæ  
*Rohrmannum, quem nunc Casovia ampla fovet,*  
Non procul à patriâ nostrâ, fera turba, latrones  
Læsere, ut sacra ad munera carpit iter.  
Nullis, quàm doleam fatum hoc, expressero verbis,  
Detestans Satanæ vimq; dolosq; mali.  
Gaudeo nunc idem, recreat cum nuncius aures:  
*Rohrmanus sano corpore vivit adhuc.*  
Non acies gladii spoliavit lumine corpus,  
Nec glans ærisono plurima missa tubo.  
Gloria summa Deo, qui mittens agmen Olympi  
Represit Satanæ vimq; dolosq; mali,  
Qui tuitus vitam est tibi, restituitq; Salutem,  
*Rohrmanne, excelso gloria summa Deo.*  
Felicem is faciat te rebus porro secundis,  
Firmamq; in rerum turbine præstet opem:  
Ut cum post annos aliquot me chara reversum  
Suscipiet tectis *Epperiesæ* suis;  
*Epperiesæ mihi præbens cunabula Mater;*  
*Casoviae concors Epperiesæ Soror;*  
Et vivum, & validum, & fungentem munere claro,  
Et faustum omnimodis, te reperire queam.

*Breve, sed serium votum testandi affectus causâ deproperabat*

**MICHAEL Schönleben / Epp. Hung.**

~~~~~

**V**el periit merito jam, vel post latro peribit:

*Vivit at, & porro pietas Rohrmannia vivet.*

*Et grati & pii animi specimen editurus facieb.*

**JOHANNES DANIEL MAJOR Vrat Sil.**

*Annus periculi & liberationis.*

**F**ine Vt **Q**UINtILIs propè abest, **R**ORMANNE, ferens,  
**a**VXILLante Deo, **V**iribus eripere.

*Annus gratulationis.*

**r**V **V**ALIDAs **V**ires, **L**AVDagrato ore, **J**ehovæ,

**I**pse **V**ovebo **p**lvs prospera Dona tibi.

**M. E. M.**

•••(•)•••



Umg. VI 6

ULB Halle

3

005 905 370




VD 77












B.I.G.

Farbkarte #13



Bursary 671

Σωτηρία, Ευχαί,  
vibus  
I R O

7

verendo Clarissimoq<sup>3</sup>

ALTHASARI  
MANNO,

-SILESIO,  
perioris Hungariae  
æ Germanicae Pastori  
Inspectori Dignissimo,

um  
enerabilis Officii  
miam dignationem;

maximè  
verè divinam

petu, vi, armis,  
latronum illorum  
atissimorum,

umlibet truculentissimis,  
amaniorum,

in

